

LVDVS DE FABULIS OVIDIANIS ANTIQVIS

Rex Lycaon lovi et Mercurio carnem humanam apponit

Ov. met. 1, 209 - 231

Postquam fama de hominum improbitate ad aures Iovis
venit, pater deorum hominumque specie humana
indutus videlicet cum Mercurio, cuius mentionem
Ovidius hoc loco non facit, summo Olympo delapsus est,
ut suo iudicio uteretur.

Cum luppiter et Mercurius una iter facientes in
hospitium Lycaonis venissent, rex Arcadiae obside de
gente Molossa iugulato hospitibus divinis carnem
humanam apposuit, ut cognosceret, utrum convivae dei
an mortales essent. luppiter, ubi dolum sensit, iratus
mensam evertit et domum regis fulmine incendit.



Iuppiter regem Lycaonem in lupi figuram mutat




Ov. met. 1, 232 - 239. Hyg. fab. CLXXVI

Iuppiter, postquam Lycaonem
obsidem iugulavisse et sibi
carnem humanam apposuisse
cognovit, regem crudelem et
nefarium in lupi figuram
tavit. Lycaon autem solita
caedis cupidine coactus
pecudes dilaceravit et
sitim sanguinis explevit.

*F*ign Lycaonias deuastat Juppiter edes,
*F*ille fugit rapidum vertitur inq̄ lupum.

Sylvas et rabiosa petit spelæa ferarum,
Vixq; ferox animo, que fuit ante manet.


Notus ventus iussu lovis nubes comprimit



Ov. met. 1, 253 - 269

Iuppiter ira incensus, cum e scelere
Lycaonis coniecturam de omnium
hominum improbitate faceret,
homines perdendi consilium cepit.

Itaque Notum ventum, qui idem
Auster vocatur, emisit, ut manibus
nubes premeret; qui terribili vultu
imbris ex omni caelo demisit.



Neptunus amnes convocat

Ov. met. 1, 274 - 315



Dum Notus ventus imbres assiduo demittit,
Neptunus quoque, marium fluviorumque
deus, Iovem fratrem in genere mortalium
perdendo adiuvit, cum amnes, ut terras
inundarent, convocavit.

"**Omnia pontus erat**", ut ait
Ovidius, "**deerant quoque litora ponto.**"




10.

Vndiuomo collecta Noto Thaumantias Iris
Nubila per terras dissipat imbre graui.

Nuptunusq; ferox cunctis indicit aquarum
Numinibus fontes ejaculare suos .

Deucalion et Pyrrha



T.962.







